

Disputatio juridica inauguralis de testamentis

<https://hdl.handle.net/1874/342353>

42.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
TESTAMENTIS,
QUAM,
DIVINO FAVENTE NUMINE
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

UT ET

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in **UTROQUE JURE** honoribus & Privi-
legiis ritè, & legitimè consequendis,

Eruditorum examini subicit,

NICOLAUS DUCK, ISELSTAD.

A. D. 17. Decemb. hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina **FRANCISCI HALMA**, Academiæ
Typographi, clc lcc LXXXVIII.

DEO
PARENTI
AMICISQUE
INTEGERRIMIS
NEC NON
JURISPRUDENTIÆ
FAUTORIBUS

Hanc disputationem inauguralem

Offert

NICOLAUS DUCK,



DISPUTATIO JURIDICA
IN AUGURALIS,
DE
TESTAMENTIS.

THESIS I.



Testamenti materiam tractaturo ante omnia dicendum erit, testamentum in jure non unam habere significationem. Quandoque enim significat ipsius testamenti tabulas; ut in *l. i. ff. quemadm. testam. aperiunt.* quandoque ipsam voluntatem; ut in *l. i. ff. qui testam. fac. poss.* ut ex re subjecta vel mente loquentis vocabulum sit explicandum. *Paul. Voet. ad pr. inst. de testam. num. i.*

I I.

Testamentum, quod a testatione mentis dictum in *pr. instit. de testam.* secundum non vocis etymol, sed juris allusionem, est voluntatis nostræ iusta sententia de

4 DISPUTATIO JURIDICA

eo quod quis post mortem suam fieri velit. *Modest. in l. 1. ff. qui testam. fac. poss.* iusta sententia hic non est sententia solennis, sed legitima regulis juris & constitutionibus Imperatorum conformis *l. 4. ff. eod. Wiss. ad h. tit. ff. num. 5. Schot. in examine jurid. ad eund. tit.*

I I I.

Testamentum dividitur in paganicum & Militare, ut *hoc tit. instit. §. seq.* utrumque in scriptum, quod scriptura interveniente conficitur, & nuncupativum, quod viva voce fit *§. ult. Instit. h. t., §. in pr. Inst. de militari testamento.* hac divisione visa haud abs re erit antiquam testamenti videre divisionem; apud veteres fuerunt duo genera testamentorum primum vocabant *Calatis Comitibus* factum, quæ Theophilus vocat *Centuriata*: hæc semel aut bis in anno habebantur, ubi quis, qui vellet, poterat testamentum facere. Deinde alterum vocabant *Endo procinctu*, id est cum staret acies ad confligendum, verum quia non semper erant hæc comitia, neque confligebant exercitus, multi cogeantur intestati decedere; similiter & scæminæ, quibus neutrum neque comitia ingredi permissum erat, neque militare; hæc res in desuetudinem abierunt. Accessit deinde & tertium genus *per æs & libram*; sed hoc postea moribus mutatum fuit, quia hi hæredes statim noti erant omnibus; periculosum quoque erat testatori, cujus vitæ sæpe struerentur insidiæ. Tria hæc genera occurrunt in *Gellio lib. 15. noct. Attic. c. 27. §. Ulpian. in fragm. tit. 20.*

I V.

Quæri hoc loco solet, cui juri ad scribenda sit testamenti factio; utrum juri gentium, an juri Civili? Interpretes originem juri gentium tribuunt, formam juri Civili

vili, quibus assentior. *Wesemb. ad tit. ff. qui test. fac. poss. num. 8. Wiss. ad eund. tit. ff. num. 9. vinn. ad idem pr. Instit. num. 3. Voet ad pr. Instit. de testam. num. 3.*

V.

Omnes testamentum facere possunt, quibus id auctoritate juris conceditur; quo respectu testamenti factio juris est publici *l. 3. ff. h. t. cujus servi (utpote eo jure pro nullis & mortuis habiti. l. 32. ff. de reg. juris) sunt incapaces: Servis ergo impeditur testandi potestas. l. 19. ff. qui testam. fac.* post his adde illos, qui ex civibus Romanis ab hostibus capti sunt; *in l. 8. in pr. ff. qui testam. fac. poss.* obsides etiam *l. 11. ff. eod.* nisi illis id permittatur *d. l. 11. vel usus togæ Romanæ concedatur l. sed si 32. ff. de jure fisci* Prohibentur & peregrini & deportati, quia testamenti factio tantum civibus Romanis competit, *l. 8. ff. qui testam. fac. poss.* illis autem denegantur jura civium Romanorum §. 1. *Instit. quib. mod. jus patr. potest. solvit;* Item non possunt hæretici *l. 4. C. de hæret. & manich. auth. Gazaros C. eod.* eorumque fautores ac receptatores *per auth. credentes C. eod.* non etiam potest testamentum facere filius familias *l. 16. in pr. ff. qui testam. fac. poss.* quia lex XII. tabularum tantum de patre familias mentionem facit & testamenti factio est ex iis quæ jure permixta sunt; quo nomine juris publici dicitur *in l. 3. ff. eod.* cumque lex tantum permittat patrifamilias testamentariam dispositionem, filium ab ea excludi manifesti juris est *Paul. Voet ad pr. d. t. t. Instit. num. 2.*

V I.

In tantum filius familias testamentum facere prohibetur, ut ne quidem possit permittente patre testamentum facere: textus insignis *in pr. l. 6. ff. eod.* ratio quia te-

6 DISPUTATIO JURIDICA

testamenti factio est juris publici, *l. 3. ff. eod.* & id quod tantum certis personis jure publico permixtum est, id a privatis ad alios extendi non potest. *l. 38. ff. de pactis* Attamen potest testamentum facere filiusfamilias de castrensibus & quasi castrensibus *per l. ult. C. qui testam. fac. poss.* quia in iis habetur pro patre familias *in l. 2. ff. de Scto Maced. item in l. 6. §. ult. ff. de injust. rupt. irrit. testam.*

V I I.

Hinc quæri solet, an filiusfamilias secundum jus novissimum de iis bonis adventitiis possit testamentum facere, in quibus patri non est quæsitus usufructus? resp. eum non posse: quia non legitur filium familias in iis haberi pro patrefamilias. *Zoes. ad tit. ff. qui testam. fac. poss. num. 17. Schot. in exam. jurid. ad d. tit. ff. Corv. eod. Voet. ad pr. Instit. eod. num. 2. Harprecht ad idem pr. num. 29. Brouchorst cent. 3. assert. 21.*

V I I I.

Removentur insuper a testamenti factione quidam propter vitium corporis, ut mutus & surdus simul a natura *l. 6. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. l. 7. ff. eod. §. item surdus & mutus 3. Instit. eod.* Mutus vel surdus ex accidenti potest testamentum facere, mutus, si non sit rudis literarum, poterit scribere heredem; surdus viva potest voce ex constitutione Justiniani Imperatoris *in l. discretis 10. C. eod.* Propter vitium corporis etiam non potest testari cæcus, nisi per observationem, quam Justinus introduxit, *in l. hac Consultissima 8. C. eod.*

I X.

Quidam prohibentur etiam testamentum facere propter vitium animi, quales sunt furiosi *§. 1. instit. eod.*
quia

quia mente & ratione carent *d. §. 1.*; prodigi, postquam illis interdicta est bonorum administratio, *§. 2. Instit. eod. l. 18. in pr. ff. eod.* quia sanam mentem propter improbos mores habere non censentur, qua in parte furioso comparantur: furiosi enim vel ejus cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est *l. 40. ff. de reg. juris.* quod tamen ante furorem & ante interdictionem fecerunt, ratum est, *d. §. 1. & 2. Instit. eod.* furiosus potest tamen testamentum facere, tempore dilucidi intervalli, si quid habeat *l. 20. §. 4. ff. qui testam. fac. poss. d. §. 1. Instit.* Prodigus si ad sanos redierit mores, itidem potest: sed tamen prævia causæ cognitione & decreto declarandus est non prodigus, *Wiss. ad tit. ff. curat. fur. & aliis præter minor. dand. num. 3.*

X.

Quidam etiam prohibentur ratione ætatis, ut impuberes, quia nullum eorum animi judicium est. *§. 1. Instit. quibus non est permisso. fac. testam.* Impuberes intelliguntur masculi infra annum decimum quartum: scemina infra annum duodecimum, *l. 5. ff. eod. l. 4. C. eod.* Malitia hic non supplet ætatem: licet quandoque id in jure contingat: quia leges hic determinatum exigunt tempus, quod ante vertere non licebit. *l. si filiusfamilios 19. ff. eod.* hoc ita observatur ut ne quidem ultimus annus cæptus pro completo habeatur, *Voet ad §. 1. Instit. eod.* licet ultimum diem attigisse suffecerit qui cæptus pro completo habetur. *l. 5. ff. eod.*

XI.

Quoniam impuberes testamentum facere non possunt, quæritur quid dicendum de iis, qui nunquam pubescunt? quales sunt eunuchi, resp. eos non potuisse testamen-

stamentum facere de jure scilicet antiquo, uti videre est in *Cod. Theodos.* sed his testamentum facere permisit Imperator Constantinus; in *l. eunuchus 5. C. qui testam. facere poss.*

XII.

Ipsa testatio seu declaratio ultimæ voluntatis debet fieri unico contextu, nullo actu extraneo interveniente, *l. 21. §. ult. ff. eod. §. 3. Instit. de testamentis ordinandis.* hinc quæsitum a juris Interpretibus, an contractus possit celebrari in testamento? quidam affirmant, sed negantibus subscribo. *Zoes. ad tit. qui testam. fac. poss. nu. 30. Schot. in exam. jurid. eod. vinni ad §. 3. Instit. de testam. ordin. num. 7. Voet ad eundem §. Instit. num. 3. Bronchorst. centur. 3. assert. 22. l. 21. §. ult. ff. qui testam. fac. poss. l. 20. ff. de verb. sign.*

XIII.

Porro in testamento requiritur, ut adsint testes animo & corpore præsentés, & quidem septem numero, specialiter ad hoc rogati *l. 21. §. 2. ff. qui testam. fac. poss. §. 3. Instit. de testam. ordin.* suffecerit tamen si antequam adhibeantur, certiores se testamento adhiberi, etsi ad hoc antea non sint rogati *d. l. 21. §. 2. ff. in fine.* subscribere insuper necesse habent testator & testes, debent & signare testes *d. §. 3. instit.*

XIV.

Ex his solennitatibus quædam sunt remissæ in quorundam testamentis. Ut primo in testamento patris inter liberos quod nullos testes desiderat, sed a solis parentibus inter solos liberos conficitur. *l. 21. §. 1. C. de testam. Auth. quod sine subscriptione C. eod.* secundo in testamento Militis *pr. instit. de milita-*

militar. testam. testamentum militis est, quod a milite stipendia merente, in expeditionibus conficitur jure militari: hujus testamenti privilegia sunt plurima, quorum summa huc redit. Quod militis voluntas, quocunque modo; sive scriptura, sive verbis declarata, ut de ea constare possit, valet, itaque omnia ea, quæ subtilitatem magis, quam naturalem rationem spectant, militibus remissa sunt in *pr. instit. de testam. Militari.* tertio in testamento Rustico in quo sufficiunt quinque testes, modo plures adhiberi non possint *l. ult. C. eod.* quod extende non tantum ad culturam agrorum exercentes, sed etiam ad nobiles ruri habitantes *Wiss. ad tit. ff. qui testam. fac. poss.* Quarto testamentum principi oblatum & actis insinuatum, nullos requirit testes, *l. 19. C. de testam.*

X V.

Quæritur quid dicendum de testamento tempore petitis facto, an in eo etiam quid sit remissum ex numero testium; d. d. sic volunt *ex l. 8. C. de testam.* sed perperam, quia in illa lege tantum remissa est simultanea testium præsentia tempore eo, quo fit testamentum, idque propter metum contagionis, uti videre est in verbis finalibus *d. l. 8. C.*

X V I.

Testes in testamento adhiberi debent. Cives Romani, puberes, homines liberi, sanæ mentis masculi *l. hac consultißima 21. C. de testam. §. 6. instit. eod.* non poterit igitur testis esse mulier *d. §. 6. Instit. l. 20. §. 6. ff. qui testam. facere poss.* Cujus rationem quidam posuerunt in fragilitate sexus sed minus accurate: quoniam in capitali judicio auditur *d. l. 20. §. 6.* rectius illi, qui rationem

tionem metiti sunt ex jure antiquo: quo testamenta Calatis Comitibus coram populo fiebant: ubi mulier non comparebat, *A. Gell. in noct. Att. lib. 5. cap. 19.* cujus juris vestigia jure novo sequutus est prator. Præter feminam etiam non adhibentur, servus, furiosus, surdus &c. *d. §. 6. Inst.* sed neque hæres scriptus *§. Inst. eod.* Poterit in testamento testis esse legatarius, quia non est successor universi juris, sed certæ rei *l. 6. ff. de except. l. 9. §. hæred. 12. ff. de hæred. Inst. §. Inst. de testam.* non etiam is qui in potestate testatoris est *§. 9. inst. eod.* quoniam testes idonei non sunt quibus imperari potest ut testes fiant *l. 6. ff. de testib.* in causa scilicet imperantis, nam in aliis causa secus est *§. 8. Instit. de testam.* sic non etiam poterit esse testis is testamentarius qui testatorem in potestate habet; hinc pater non potest esse testis in testamento filii. post missionem testantis de peculio castrensi vel quasi *§. 9. Instit. eod.* poterit tamen filius emancipatus testis esse in testamento patris *Paul. Voet ad §. 9. Instit. eod. num. 2.*

X V I I.

Quæritur porro, quo tempore testium conditio inspicienda, an tempore eo, quo testamentum fit, an vero quo testimonium dicitur in judicio? resp. tempore eo quo testamentum fit. Si igitur tunc, cum signarent, tales fuerint, ut adhiberi possint. Nihil nocet si quid postea iis contigerit *l. ad testium 22. §. 1. ff. qui testam. fac. poss.* cui Adrianus Imperator concordat in *l. 1. C. de testamentis.*

X V I I I.

Non interest in qua Materia scribatur testamentum an in charta, membranave &c. si modo legi possit *§. 12. Instit.*

*Instit. de testam. ordinand. sed jure antiquo certæ cui-
dam materiæ testamentum inscribi necesse erat Vinn. ad
d. §. 12. Instit.*

COROLLARIA.

I.

Donatio omnium bonorum valet.

II.

In mutuo fit alienatio.

III.

*Tutoris datio neque jurisdictionis, neque
imperii est, sed ex speciali legis dela-
tione descendit, ut in l. 6. §. 2. ff. de
tutelis.*

IV.

*Filiusfamilias non potest renunciare Jcto
Macedoniano.*

V.

Furtum fit rei minima.

VI. In

V I.

*In criminalibus capitalibus procurator non
admittitur.*

V I I.

*Filiusfamilias non potest testari de adven-
titio pleno.*

